

ac præceptis dominicis contradicunt, quibus ita jubemur : *Quicumque valuerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (Matth. xx), abbatis vel etiam reliquorum increpatione confusi, ad locum proprium quem reliquerant revocentur : quos ad majorem gradum tardius decernimus promoveri, ne addita dignitate radicata in eis præsumptio convalescat.

Illud itaque statuimus, ut, ad mensam fratribus congregatis, de his quæ apponuntur nemo alterius aut præsumat aut rapiat portionem, ne frequentius cæteris manum proprosi importunus immergat, propter illud Apostoli : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (I Cor. xi). Et iterum : *Esca ventri, et santer escis : Deus autem et hunc et has destruat* (I Cor. vi). Et iterum : *Non est regnum Dei esca et* B *potus : sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (Rom. xiv). Et iterum : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri* (Rom. xvi). Et iterum : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (Phil. iii). Legimus etiam in psalmo, quod longe etiam a monachis : *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum et ira Dei ascendit in eis* (Psalm. lxxv). Quicumque ergo hujusmodi transgreditur statutum, abbatis judicio constabit, quantis jejuniis mensæ violentia judicetur.

De ebrietate vero superfluum puto monachum commoneri : cum, vel si parum vini accipiat, a præposita corporis contritione declinat. Attamen quia latere monachos non poterit quod Apostolus Timotheo scribit, dicens : *Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (I Tim. v) : quantum eis, secundum vires monasterii, per singulos dies jussu vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant, et amplius penitus non requirant. Hoc etiam de reliquis stipendiis statuimus observandum. Nam ebrietatem illis etiam qui sæculo vacant prohibitam Scripturæ testimoniis approbamus, scribente Apostolo Ephesiis : *Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria* (Ephes. v). Nec non et Propheta : *Væ qui fortes sunt ad bibendum vinum, et potentes ad miscendam siceram* (Isai. v). Et iterum : *Væ qui consurgunt mane, et sectantur siceram : qui expectant vesperam, ut vino æstuent*. Et ideo monachum si ebrium, quod dici nefas est, videri aliquando contigerit, zelans illi plenus ira præcipio, ut triginta diebus a vini potatione suspendatur : quatenus anima infusione congesta digestionem hoc spatio vacuetur.

Illos igitur monachos, quos vel unius diei finis

A discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium, quam sol cognoscat occasum; qui dicenti Apostolo : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. iv), per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat : sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fuit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis coram astantibus veniam invicem postulent : quia uterque reus diuturna simultate notatur, dum aut unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo iste impius, ille remansit impoenitens : hic damnandus post iram, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat; sed cito ad illud recurrat exemplum : *Dimittite, et dimittetur vobis* (Luc. vi). Et illud Apostoli : *Induite vos, sicut electi Dei et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (Col. iii). Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur : *Facit Dominus judicium injuriam patientibus* (Psalm. cxlv). Et alibi : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet* (Gal. vi).

Furti scilicet conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum, secundum flagello subdi, et magna censi afflictione jubemus; dantes illi unam cum fornicante sententiam, quia et ipse luxuriatus est cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per Prophetam : *Non est scientia Dei super terram* (Ose. iv). Et paulo post : *Furtum et adulterium inundaverunt*. Et iterum in psalmo : *Si videbas furem simul, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (Psalm. xliii). Legimus etiam in Evangelio Dominum dixisse : *Fornicationes, furta; et nec moratus addidit : Hæc sunt quæ coinquant hominem* (Matth. xv). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur et pœna.

D Et ne aliquid, dulcissimi in Christo fratres, de his quæ suprascripta sunt per oblivionem sitis negligentes, cunctis in unum positus semel ea in triginta diebus relegite, hoc est, in calendis.

## DE TARNATENSI MONASTERIO EJUSQUE REGULA

### VETERUM TESTIMONIA.

Jos. Simler. descript. Vallesie lib. i : *Sub Octiduro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur, Juviana, Serventia, Verosa, mox Tarnadæ oppidum. Tarnadæ autem Antaninum seculi oppidum hoc nominamus : veterum plerique Agaunum nominarunt. Exstant hoc loco vetustissimæ inscriptiones, quæ antiquitati testimoniam perhibent. Hoc loco a Maximino imperatore legio Thebæa, cujus dux erat Mauricius, propter confessio-*

*nem nominis Christi cæsa est. Ab eorum martyrio annis circiter 220 cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus rex Burgundiorum, Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis et aliorum episcoporum, oratione impulsus, eodem loco in honorem martyrum cœnobium celebre construxit; oppidulum Tarnadæ juxta positum manibus ampliatæ cœnolio conjunxit : ab eo tempore*



*Tarnadæ nomen obsolevit, et nunc vulgo ad S. Mauri-<sup>A</sup> tium nuncupatur.*

Marius ep. Aventicen. Chron. ad an. Christi 515: *Florentio et Anthemio consulibus monasterium Acauno a rege Sigismundo constructum est.*

Regulam vero Tarnatensem sæpiissime citat S. Benedictus Anianensis abbas in Concordia regularum; et Smaragdus in Comment. ad Regulam S. Benedicti; Item Trithemius lib. de Propr. monachorum, cap. 3.

### OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEMTEM.

Hæc præsens Regula scripta est pro monachis in monasterio Tarnatensi sive Tarnadensi habitantibus, circa cujus situm inter eruditos haud minima est disceptatio; nam Mabillonius in Annalibus Benedictinis existimat hoc monasterium non differre a prioratu Tarnatensi aut Tarnayensi, inter Lugdunum et Viennam sito: dum ex Simlero citato aliisque magni nominis historicis constat illud iuxta Rhodanum fuisse positum. In confesso enim est, Tarnadæ oppidum sub Octoduro ad sinistram Rhodani aliquando existisse satis celebre, ab antiquis Agannum nominatum, ob ejusdem nominis rupem, in cujus radicibus exstructum erat. Hinc monasterium nominatur aliquando Tarnatense, aliquando Augiens, et sæpius Cænobium S. Mauritii appellatur, ob patrocinium illius S. martyris cujus sacro nomini et illud dicatum erat; nam in hoc ipso loco S. Mauritius, Thebææ legionis dux, cum suis militibus a Maximo imperatore martyrium passus est, in cujus igitur sacram memoriam, ad instantiam quorundam piorum episcoporum, Sigismundus, Burgundiorum rex, hoc monasterium erexit circa annum 515, prout attata testimonia perhibent. Regula ergo hæc forsitan non nisi 7<sup>o</sup> anno sæculi sexti litteris mandata fuit; existimat enim Calmetus, Tarnatenses monachos hanc Regulam compilasse, secundum laudabiles consuetudines in monasterio jam usitatas, atque ejus auctorem sive compilatorem visisse circa finem sæculi sexti, imo eundem esse, qui S. Lu-

gendi Vitam scripsit, mandante S. Marino Lirinensi abbate. Nec quidem admirari debemus, quod hoc monasterium gubernatum fuerit ab initio absque aliqua regula scripta, nam hoc primis monasticæ vitæ sæculis commune fuit, quod monachi viva voce et exemplo abbatis et Patris monasterii gubernarentur, quemadmodum de Lirinensi in Galliis, Hyensi apud hodiernos Scotos et Lindisfarnensi in Northumbria aperte constat. Interea hæc Tarnatensis disciplina, saltem quoad perpetuam in choro psalmodiam, etiam ad alia Gallicana cænobia transiit, præsertim postquam S. Apollinarius, Tullensis abbas, hujus monasterii curam susceperat circa annum 579, prout ex Fredegario ad annum 24 Guntrammi discimus. Nec sane magis refert quod eminentissimus Norisius in sua Pelagianæ hæresis Historia existimet quædam hujus Regulæ capita cum ipsa S. Augustini Regula pro virginibus scripta magnam habere connectionem, cum illis temporibus tanta existeret ubique vitæ monasticæ unitas, ut diversæ scriptæ regulæ in præcipuis materiis non differrent, sed solum ab invicem discrepant in aliquibus ritibus et cæremoniis cultibus loco et communitati propriis. Hinc, nobiliores scriptores, imo ipse laudatus Norisius, agnoscent hanc Tarnatensis monasterii Regulam 23 capitulis constantem nunquam pro canonicis regularibus compositam fuisse, sed solis monachis adaptatam; nondum enim tales canonici in Ecclesia exorti sunt.

## REGULA MONASTERII TARNATENSIS.

CAPUT PRIMUM. Si quis fidei ardore succensus, renuntians sæculo, monasterium magna dispositione elegerit expetendum, novitatu ejus non confestim licentia tribuatur intrandi; sed primum studiosius indagetur, utrum voluntarie, an necessitate aliqua coactus advenerit, aut si nulla servitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cum ad abbatis notitiam præposito nuntiante pervenerit, uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste demonstrata. Sequitur, ut informetur disciplinis regularibus, et quæ facere debeat, quibusque eum conveniat servire cognoscat: deinceps omnis regulæ constitutio relegatur, et ad comprobandam obedientiam ejus, dura ei et aspera præcepta mandentur, nihil in proprietate de his quæ secum exhibuit habiturus. Sed si ejus votum tale est, ut quæ sua monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet, et super altare statuat; unde reposci aliquod sacrilegium judicatur. Si peccora cujuslibet generis ad monasterium commigraturus adduxerit, ab abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendi quod voluerit non negetur. Quæ si abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur; aut, quod melius est, præposito vendenda committat: pretium vero ipsum,

ut jam dictum est, ab eo cujus res fuerant, dispenseretur, dummodo in ejus nihil potestate resideat. Nefas est enim ut qui decipulam hujus sæculi intendit evadere, reservet unde eum infestatio diabolica valeat irretire. Clientem vero, et famulum, aut parentem secum exhibens, si postulet in consortio religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus convenit aggregari: et qui fuerat et ante in servitute subjectus, frater est in Domini positus servitio computandus: quia apud Deum, ut Apostolus docet, nulla est acceptio personarum (Col. iii). Ille tamen qui de humili conditione est in germanitatis æqualitate susceptus, non aliquo elationis timore superbiat; sed per humilitatem in eo quæ bona sunt convalescant: et non solum ei cui æqualis effectus est, sed fraternitati omni, ut verus famulus Christi, cum pietate et humilitate deserviat. Quia sicut is, qui major esse videbatur in sæculo, per humilitatis affectum frater vocatur et Domino; ita ille sui memor conditionem suam, non altiora petendo despiciat, sed testimonio humilitatis exaltet, ut apud Deum inveniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitam permittatur. Sed si postremis fuerit tanta compunctio, ut hoc sibi supplicatione assidua exigit non negari, quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vesti-